

**865-866 OPUSCULUM QUINQUAGESIMUM
SEPTIMUM. DE PRINCIPIS OFFICIO IN
COERCITIONE IMPROBORUM, ADDITA-
ALIA EJUSDEM ARGUMENTI
DISSERTATIONE.**

ARGUMENTUM.

Ejusdem Gothifredi ducis lenitatem in puniendis criminibus reprehendit, ostenditque quantum nimia benignitate principum in populos damni redundet. Augeri profecto, non reprimi improborum audaciam; resque humana susque deque misceri, nisi peccata paribus poenis coerceantur.

GOTHIFREDO excellentissimo duci, PETRUS peccator monachus salutem in Domino.

Qui pigmentata quotidie bibit, ac melle condita, aliquando longa dulcedine gustus ejus offenditur, et in austeritate vilis vappae jucundius delectatur. Et certe per Salomonem dicitur, quia: «Qui mel multum comedit, non est ei bonum.» Inter adipati quoque juris edulia virentes herbae fastidium reprimunt, et nauseantis ad vomitum peccatoris arcana componunt. Tu sane, vir eminentissime, quodammodo multa quotidie percipis, et nectareo sapore conspersa, dum tibi unusquisque ad votum loquitur, nec aliud quidquam suggerere nititur, nisi quod tuis auribus blandiatur. Quidquid tibi plane dicendum est, prius accurate componitur, et quasi fabrilis instrumenti studio cuditur, ac politur: videlicet quidquid illud est, substrata potius humilitas suggerat, quam libera loquentis auctoritas dicat. Et o infelix, et deceptioni semper obnoxium

mundanae fastigium dignitatis! quia cum caeteris dicant homines illa quae sentiunt; potentibus saeculi fucati sermonis argumenta componunt; et eos qui se aliis exhibent puros, divites compelluntur semper habere suspectos. Dum ergo mundani quilibet homines excellentiae tuae pocula tantummodo mellita propinant, id enim solummodo suggerunt, quod tibi placitum esse perpendunt, inter dulces quotidianae assentationis illecebras non debet moleste ferri meorum amaritudo sermonum, tanquam inter suaves epulas aliquando placet agrestium viror herbarum.

[DE OFFICIO PRINCIPIS IN COERCITIONE IMPROBORUM.]

CAPUT PRIMUM. *Quod justitiae rigor regna conservet.*

Quod ergo vivis tibi saepe sermonibus protulit, hoc nunc per epistolam replico. Fateor sane, multum mihi displicet, quia monarchiam hanc, in qua pene centum millia degunt hominum, tanquam rusticum quemdam viculum negligis; eamque duci, per quem regi et administrari debeat, non committis. Ex omnibus quippe, quibus nunc per regiminis officium praeemines, districto judici ratiocinium debes; et quanto nunc gloriosius est in obtinenda dignitate fastigium, tanto durius erit in reddenda ratione iudicium. Transfer ergo

pondus in alterum, ut quod propriis non potes cervicibus ferre, per alium valeas, communicato labore, portare.

Illud etiam mihi non mediocriter displicet, quia in plectendis flagitiis et temerariis iniquorum hominum ausibus coercendis, remissior cerneris esse quam debeas; et dum peccatoribus parcis, augere peccata convinceris. Enervato quippe rigore justitiae, status evertitur disciplinae; et dum ultoriae severitatis censura reprimitur, temeraria delinquendi licentia relaxatur. Inordinata sane pietas nutrit impietatem; et timida manus medici, vulnus auget aegroti. Facit enim exuberare putredinem, dum non secando, sed palpando quotidie superducit vulnuscule cicatricem. Pharmacopola denique, qui mollibus unguentis non permiscet acredinem, tumoribus exsiccandis nullam potest adhibere virtutem. Non omnia membra Ecclesiae uno funguntur officio. Aliud nempe sacerdoti, aliud competit iudici. Ille siquidem visceribus debet pietatis **867** affluere, et in maternae misericordiae gremio sub exuberantibus doctrinae semper uberibus filios confovere. Istius autem officium est, ut reos puniat, et ex eorum manibus eripiat innocentes; ut vigorem rectitudinis et justitiae teneat, et a zelo sanctionum legalium non tepescat; ut ab aequitatis linea non declinet; ut legitimi vigoris genium non enervet. Meminerit etiam semper quod per Apostolum dicitur: «Vis non timere potestatem? fac bonum, et habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time, non enim sine causa gladium portat (**Rom. XI**).» In quibus utique verbis [datur, *vel aliquid simile*] intelligi, aliud esse gladium principis, aliud infulam sacerdotis. Non enim ad hoc praecingeris gladio, ut violentorum mala debeas palpare, vel ungere; sed ut ea studeas vibrati mucronis ictibus

obtruncare. Hinc est quod sequitur: «Dei enim minister est vindex in iram ei, qui male agit (**Ibid.**).»

CAPUT II. *Quod judex, qui male agentes non punit, diaboli minister est.*

Si ergo Dei minister est, qui mala facientes in iram vindicat; diaboli procul dubio minister est, qui criminosos ac reprobos suaviter palpat. Et sicut Deo praebet obsequium qui perversos ulciscitur; sic minister est adversarii, qui perpetrantibus iniqua blanditur. Necesse est, ut contrahat mucro rubiginem, qui semper in theca reconditus, nunquam exercet ultionem. Scaber ensis efficitur, qui dum cohibetur semper a vulnere, non limatur. Quo contra, per Ezechielem dicitur: «Gladius exacutus est et limatus; ut caedat victimas, exacutus est; ut splendeat, limatus est (**Ezech. XXII**).» Distat plane tribunal judicis a cathedra sacerdotis. Ille nimirum ad hoc gladium portat, ut eum in ultione injuste viventium exerat: iste baculo tantum contentus est innocentiae, ut quietus et placidus teneat, custodiam disciplinae. Quanquam et sacerdos si immoderata circa subjectos pietate resolvitur, et ipse sententia divini furoris non immerito condemnatur. Nam sacerdos erat Heli, de quo dictum est ad Samuelem: «Eo quod noverat indigne agere filios suos, et non corripuerit eos, idcirco juravi domui Heli quod non expietur iniquitas domus ejus victimis et muneribus, usque in aeternum (**I Reg. I**).» Erat ergo judex, causas atque negotia jurgantium dirimere negligat; maximam

diei partem missarum solemnibus, et orationibus insistendo consumat. Sed ecce illic dicitur, quia nec ipsius quidem sacerdotis iniquitas expiari poterit victimis et muneribus usque in aeternum, eo quod Heli vitia non coercuerit filiorum.

CAPUT III. *Quod iniquos castigare est Deo sacrificium.*

Et perpende quale est, quod victimae simul ac munera, quae peccata principaliter abluunt, habitam erga subjectos negligentiam expiare non possunt. Multi nempe falsae pietatis **868** errore decepti, unde se Deo placere insipienter autumant, inde adversus eum crudeliter pugnant; et ex eo merentur iram, unde se adepturos opinati sunt gratiam; et dum aliis veniam falsae pietatis impertiunt, ipsi motum divinae indignationis incurrunt. Vir namque de filiis prophetarum dixit ad socium, ut se percuteret: quem quoniam ille ferire contempsit, protinus a leone percussus interiit (**III Reg. XXVII**). Placere se Deo de pietate sua arbitratus est Achab, cum Benadab regem Syriae non modo vocavit fratrem, sed et in curru proprio sibi dignatus est assessorem. Sed audi quid indiscreta pietas mereatur audire: «Quia dimisisti, inquit Dominus, virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus, et populus tuus pro populo ejus (**Ibid.**).» Saul Agag regem Amalech non occidit, sed captum peracta victoria conservavit, et pro hac misericordia digne remuneratus audivit: «Pro eo quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus, ne sis rex (**I Reg. XIII**).» Pius exstitit populus erga

mulieres Madianitarum, sed ait illis Moyses: «Cur feminas reservastis? Ergo cunctos interficite, quidquid generis est masculini, etiam parvulos; et mulieres, quae noverunt viros in coitu, jugulate (**Num. XXXI**).» Idem quoque Moyses, postquam fabricatus esset vitulus in Oreb, ait filiis Levi: «Occidat unusquisque fratrem, et amicum, et proximum suum (**Exod. XXXII**).» Et postquam viginti tria millia hominum caesa sunt, ait: «Consecrastis hodie manus vestras Domino, unusquisque in filio et fratre suo, ut detur vobis benedictio (**Ibid.**).» Amalecites ille, qui gloriatur se peremisse Saul, dum se non galeam, sed diadema de capite bellantis abstulisse confingit, gladio David percussus, occubuit (**II Reg. I**). Interfectores etiam Isboseth, dum caput illius quasi loco muneris offerunt David, gladium non evadunt (**II Reg. IV**); et quem speraverant muneri gratias redhibentem, commissi potius homicidii experiuntur ultorem. Petrus etiam Ananiae et Saphirae mendacium non inultum abire permisit (**Act. V**); sed eos oris gladio feriens, aliorum ne simile quid forte praesumerent, corda perterrit. Paulus quoque, dum excessibus coercere discipulos nititur, virga delinquentibus comminatur (**I Cor. IV**). Salvator etiam noster, qui tanquam mitis agnus apparuit, mox ut Petro coeli terraeque jura commisit, protinus eum dura redargutione corripuit: «Vade, inquit, post me, Satana, scandalum es mihi; quia non sapis quae Dei sunt: sed ea, quae hominum (**Matth. XVI; Marc. VIII**).» Quid est ergo quod sancti viri toties in delinquentes reperiuntur invecti, vel correptione verborum, vel ultionibus operum, nisi, ut manifeste clarescat, quia in hac mortalitate recte non vivitur, si blandis ac mollibus asperitas non miscetur? Nam ubi penitus disciplina postponitur, ubi districta legitimi vigoris censura reprimatur, necesse est ut

prona semper ad malum fragilitatis humanae conditio ad illicita relaxetur. Et in eum procul dubio tota subjectorum culpa redundat, qui eos, ne praecipitanter excederent, sub disciplinae loro cohibere debuerat. Inordinata nempe pietas principis, quid est aliud, quam confusio plebis? Nam dum ille a moderanda regiminis habena reprimitur, subjecti quique, velut effrenes equi, per abrupta raptantur. Agere nimirum licet omne **869** quodlibet, et nunc liquido cernitur quod saepe dictum in libro Judicum reperitur: «In diebus illis non erat rex in Israel, sed unusquisque quod sibi rectum videbatur agebat (**Judic. XVII**).» Et illud quod tempore Achab impiissimi regis dictum est per Michaeam: «Non habent Dominum isti; revertatur igitur unusquisque in domum suam in pace (**III Reg. XXII**).» De tempore quoque Saul dicitur: «Quia retusae erant acies vomerum, et ligonum, et tridentium et securium usque ad stimulum corrigendum (**I Reg. XXIII**).» Retusae quippe sunt acies utensilium, cum zelus ac fervor exstinguitur magistrorum, nec stimulus est, qui pungat, cum deest qui delinquentium peccata corripiat. Hunc pungentem se Paulus stimulum sentire coeperat, cum vox illi divina dicebat: «Durum est tibi contra stimulum calcitrare (**Act. IX**).»

CAPUT IV. *Quod regum consilarii non solum pii, sed etiam prudentes esse debent.*

Enimvero quod dicturus sum non mihi stylus historiae tradidit, sed comes Ubaldus, vir videlicet disertus ac prudens, nudo duntaxat sermone narravit. Theodosius, inquit,

imperator cum religioso quodam eremita consueverat habere colloquium, cujus videlicet obtemperabat imperatoriis, et conscientiae sibi latentis arcana pandebat. Servus itaque Dei, ut erat simplex, purus ac mundanae propemodum pravitatis ignarus, Augustum districte permonuit ut erga delinquentes pius existeret, ut a reorum ultionibus abstineret, et qui sibi deposceret a superno iudice veniam, ipse non exigeret a fratre vindictam, nimirum cum ipse iudex dicat: «In qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis (**Matth. VII**).» Imperator itaque fidem sancti viri monitis adhibens, coepit flagitiosis et quibusque nocentibus impune commissa remittere, sacrilegis ac lege plectendis venialiter indulgere, cunctis etiam aliena iura temere pervadentibus debita relaxare. Ad haec regni proceres conqueruntur, regalis mysterii [ministerii] tractatores ruinam mundi periclitantis expostulant, et per fas ac nefas cuncta confundi, nisi per aequitatem iustitiae rebus humanis celerius occurratur, affirmant. Lamentantur denique per superstitiosae huius ac frivolae pietatis ignaviam passim rapinas ac violentias fieri, legum scita dissolvi et ad audenda plectibilia quaeque vel noxia perversorum nequitias hominum per concessae libertatis audaciam concitari. Hac imperator querula suggestionem permotus, ad hominem Dei veredarium destinat, consilium flagitat, quid sibi a murmurantibus objicitur exponit, quid potissimum sit ipse facturus inquit. Haec vir Dei solerti examinatione discutiens mutandamque sui consilii sententiam recognoscens, ore quidem siluit, quadam vero mystici operis significatione respondit. Aspiciente siquidem pragmaticae legationis bajulo, caput undique pexuit, et quidquid in gremium demolitum est vel effusum, in ignem sine mora projecit; moxque corripiens sarculum, ingreditur

hortulum, quaeque noxia demolitur, steriles herbas exstirpat, circumcirca sarriens, **870** virentia excolit et communit oluscula. Illas igitur eradicat, ut radicibus evulsis arescant; istas vero fovet et excolit, ut per adulti germinis incrementa proficiant. His itaque mystica significatione peractis, in eadem silentii censura persistens, innuit nuntio ut ad suum dominum redeat, eique quae viderat per ordinem innotescat. Qui nimirum non sine quadam animi stomachantis indignatione reversus, murmurare coepit, et conqueri, quia non missus esset ad sani capitis hominem, sed ad vesanum potius, ac dementem: Sperabam, inquit, ut decurrentibus me verbis instrueret, et juxta inquisitionis meae seriem, per apertae responsionis alloquium ex omnibus informaret. Ille autem velut alienatae mentis ac furiosus, modo incultam capitis caesariem pectere; modo correpto per hortulum suum coepit ligone sarrire; tanquam ego lendes ejus ac pedunculos magnipenderem, vel ruralis industriae magisterium flagitarem. Tunc imperator, quod dicebatur diligenter auscultans, et altiori consilio quod factum fuerat, mente pertractans, ait hoc non esse ridiculum, sed mysterium; atque id sibi quod quaesierat evidentibus indiciis indubitanter expressum: Servus, inquit, Dei nobis melius agendo quam loquendo respondit, et genuino suae operationis oraculo, nodum unius nostrae quaestionis absolvit.

CAPUT V. *Principis officium quodnam sit.*

Quid enim apertius eo, quod verticem pexuit, et mox in ignem deterosa projecit? ac si diceret: Per multimodae divisionis pectinem, hoc est per legitimae discussionis ac discretionis examen, et noxia quaeque dispereant, et quae bona sunt abjectis malis purificata remaneant. Eamdem porro sententiam per hortuli quoque voluit iterare culturam, ut sicut ille noxias cum suis cespitibus herbas evulsit, bonum autem olus, ut uberius germinaret, excoluit; ita nos, quasi per discretum libratae justitiae sarculum, et elaboremus reprobos radicitus exstirpare, et bonos ut Deo fructificent in tranquilla pace componere. Hoc illi qui aderant audientes, quod velut anilium nugarum deputaverant ante ridiculum, venerari coeperunt, et revera spiritualis ac profundae sapientiae sacramentum. Tunc imperator, hoc tanquam prophetico confirmatus oraculo, violentias injuste viventium coepit ulcisci, reatus ac scelera districta jurisdictionis animadversione percutere, a nefariis ausibus improbos cohibere, et per auctoritatem imperialis potentiae perversorum corda terrificans, in pace cuncta componere. Sic itaque mundus, qui perire coeperat per ignaviam, ad aequitatis atque justitiae refluoruit disciplinam. Hoc autem ego, non ut constanter verum fuisse perhibeam, retuli; sed quod mihi cursorio sermone relatum est, in quantum non intercepto oblivio, praelibavi. Verumtamen nunquam hoc usque ad nos antiquitas, fama vulgante, transmitteret, si non ad aedificationis exemplum prodesse posteris credidisset.

871 Vix plane quinquennio ante meae nativitatis exortum, humanis rebus exemptus est tertius Otto, qui imperialis apicis dignitate pollucibiliter floruit, et Romanam rempublicam strenue gubernavit. Hic itaque cum vicennalis adolescentiae

vix adhuc excessisset aetatem, inter insignia multa et praeclara quae gessit tribus regni proceribus atque comitibus oculos eruit, Rodulpho videlicet, Raimundo et Arimundo. In quo nimirum conspicuo decore justitiae, sic omnium aliena diripientium viscera tremefecit, sic totum regnum in securitatis et pacis tranquillitate composuit, ut omnes fere intra compendii sui limitem se formidolose reprimerent, nec juris proprii terminos per insolentiam transilirent. Unde per ora populi haec se praeconii fama diffuderat; in evulsione sex oculorum unum pacatum est regnum. Tres facti sunt caeci, et omni populo quietis optatae lumen infulsit. Tu quoque, vir magnifice, sanctorum tibi principum, et legalia jura servantium exempla propone; noxiae pietatis imaginem a te procul exclude, et erga populum, qui tibi commissus est, satage semper justitiam custodire. Scriptum est enim: «Beati qui custodiunt iudicium, et faciunt justitiam in omni tempore (**Psal. CV**).» Et Salomon: «Diligite, inquit, justitiam, qui iudicatis terram (**Sap. I**).» Sic ergo rectitudinis zelo semper accensus, incede nunc per justitiae tramitem, ut non iudicandus, sed remunerandus, ad ipsum quandoque justitiae revertaris auctorem.

ALIA DISSERTATIO. DE EODEM PRINCIPIS OFFICIO IN IMPIIS COERCENDIS.

ARGUMENTUM.

Nimiam mansuetudinem et lenitatem fugiendam eidem Gothifredo inculcat, admonens illum, videat etiam atque etiam, ne dum paucis sceleratis parcat, bonos omnes perdat. Ut hoc ei facilius persuadeat, exemplum Hugonis ducis, qui ante illum totius fere Italiae gubernacula administraverat, adducit, ejusque severitatem collaudat.

GOTHIFREDO praecellentissimo marchioni, PETRUS peccator monachus salutem.

Saepe nuntius post nuntium mittitur, ut res, quae nimis est necessaria, importunis saltem precibus impetretur. Nam et evangelicus ille iudex extra Evangelium vivens (**Luc. XVIII**), qui non Deum, non hominem reverebatur, taedio tandem et indefessa mulieris instantia victus agnoscitur. Tu vero, quem et inter homines pudor honestae vitae spectabilem et apud Deum castus reddit timor insignem, petitionibus meis repulsam non debes ingerere, quem utique non adversarium conquerentem, sed tibi potius aspicias utilia suggerentem. Scripsi tibi nuper epistolam de servando rigore justitiae, quam nunc **872** apicibus quidem gemino, sed a proposita semel materia non recedo.

[DE EODEM OFFICIO PRINCIPIS IN IMPIIS COERCENDIS.]

CAPUT PRIMUM. *Quod justitiae rigor bonis
ac malis utilis est.*

Tene igitur, vir eminentissime, stateram aequi libraminis, examen intra trutinam cohibe, pariles legalium sectionum lances prae oculis semper appende. Sed hic forte illud Salomonis objicies: «Noli esse nimium justus (**Eccle. VII.**)» Et ego tibi econtra respondeo: Noli esse nimium pius. Sicut enim sub immoderata justitia pusillanimitas frangitur, ita sub pietate nimia male liber animus ad insolentiam procaciter effrenatur. Nunquid enim illic indiscreta pietas non prohibetur: «Percute filium tuum virga, et liberabis animam ejus a morte?» (**Prov. XXIII.**) Et iterum: «Qui parcit virgae, odit filium suum (**Prov. XIII.**)» Et alibi: «Qui diligit filium suum, assiduatur illi flagella (**Eccli. XXXI.**)» Et idem: «Equus indomitus evadit durus, et filius remissus evadet praeceps. Lacta filium tuum, et paventem te faciet; lude cum eo, et contristabit te. Non corrideas illi, ne doleas, et in novissimo obstupescunt dentes tui (**Ibid.**)» Si ergo pater disciplinam et flagellum debet unico filio, quanto magis princeps populo, ne tanta effrenatae libertatis audacia pereat multitudo? Unde scriptum est: «Rex insipiens perdet populum suum, et civitates inhabitabuntur per sensum prudentum (**Eccli. X.**)» Ut ergo populus, qui tibi subjectus est, ex justi regiminis observatione salvetur, necesse est ut ipse in tribunali examine constitutus, quae sunt justa decernas; et eos insuper quos per provincias dirigis, ut legis edicta districte prosequantur, instituas. Unde vir sapiens cum praemisisset: «Judex sapiens judicabit populum suum, et principatus sensati stabilis erit;» protinus addidit: «Secundum judicem populi, sic et ministri ejus; et qualis est rector civitatis, tales et inhabitantes in ea (**Ibid.**)» Quid plane sanctius? Quid Deo charius? Quid certe in Christiana religione praestantius, quam judicare justitiam, et illicitis ausibus per legitimi rigoris occurrere

disciplinam? In quo nimirum et nocentibus praestatur et patientibus. Illis scilicet, ut violentiae piaculum non incurrant; istis autem, ut discrimen ingerendae calamitatis evadant. Illis, ut contenti propriis, aliena non rapiant; istis, ut defensi purae tuitionis umbraculo, propria non amitant. Illis, ne laedendo proximos, divini furoris in se gloriam provocent; istis, ut a nefandorum nequitia liberati, gratias semper agentes, in jubilo divinae laudis exsultent. Quod utique suavius sacrificium Deo valet offerri, quam de violentorum manibus pupillos eripere, viduas defensare, oppressos erigere, spoliatos et abjectos in amissos proprii juris titulos reformare? Hinc enim scriptum est: «In judicando esto pupillis misericors, ut pater, et pro viro matri illorum; et eris tu velut filius Altissimi obediens, et miserebitur tui magis, quam mater (**Eccli. IV**).» Quid ergo majus? Quid in humanis operibus excellentius, quam id, pro quo mortalis homo et Dei filius fiat: et Deus **873** illi non paternae, sed quod majus est, viscera maternae pietatis impendat? Ut qui stans pro pupillis et viduis adversus impiorum nequitas dimicat, ipso tanquam lacteola soboles sub confoventibus se divinae pietatis uberibus requiescat.

CAPUT II. *Sacrae Scripturae, ac SS. Patrum de plectendis iniquis concors sententia.*

In ulciscendis plane ac legali severitate plectendis excessibus iniquorum, omnes sibimet unanimiter concinunt, et in unius sententiae decreta concurrunt, et Patres videlicet legis antiquae, et sancti doctores Ecclesiae. In lege namque

scriptum est: «Maleficos ne patiaris vivere (**Exod. XXII**).» Et Apostolus inter multa: «Sive regi quasi prae excellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum (**I Petr. II**).» Beatus Augustinus ait: «Quae est vanitas uni parcere, et omnes in discrimen adducere? Polluuntur enim omnes, uno peccante.» Et Hieronymus: «Qui percutit malos, inquit, in eo quod mali sunt, et habet causam interfectionis, ut percutiat pessimos, minister Dei est.» Item alibi: «Homicidas et sacrilegos punire, non est effusio sanguinis.» Et beatus ait Ambrosius: «Hostem ferire victoria est, reum aequitas, innocentem homicidium.» Quod profecto sancti de inferenda impiis ultione non dicerent, nisi corporale supplicium etiam animabus eorum aliquatenus crederent profuturum. De quo nimirum, omissis interim aliis, quid Cyrillus Hierosolymitanus episcopus senserit, breviter inseramus: «Mors, inquit, quae poenae causa infertur pro peccato, purgatio est peccati ipsius, pro quo jubetur inferri.» Absolvitur ergo peccatum per poenam mortis; nec superest aliquid, quod pro hoc crimine iudicii dies, et poena aeterni ignis inveniatur. Ubi quis accipit peccatum, et habet illud secum, nec aliquo supplicio poenae diluitur, transit etiam cum eo post mortem, et quia temporalia hic non persolvit, expendet aeterna supplicia. Vides ergo quanto gravius sit accipere peccatum, quam morte multari? Hic enim mors pro vindicta datur et apud justum iudicem non iudicatur bis in idipsum. Ubi autem non est solum vindicta peccatum, manet aeternis ignibus extinguendum. Quibus utique sancti viri verbis indubitanter asseritur, quia per temporalem poenam reus absolvitur et per immunitatem aeterni supplicii cruciatibus reservatur.

CAPUT III. *Hugonis ducis Tusciae prudentia in renuntiando ducatu.*

Ut autem domesticum tibi, vel, ut ita loquar, vernaculum praebeamus exemplum, nemo melius occurrit, quam gloriosae memoriae Hugo dux et marchio, qui eum, quo tu nunc fungeris, obtinuit principatum. Obtinuit, inquam, utramque monarchiam [*f. marchiam*], et quam Tyrrhenum videlicet, et quam mare Adriaticum alluit. Sed cum perpenderet, quia **874** propter improbitatem injuste viventium, strenue regere utramque non posset, ultroneae renuntiationis arbitrio, cessit imperatori monarchiam Camerini cum Spoletano ducatu; juri vero proprio Tusciam reservavit. Hujus tempore Capuanus princeps, si rite rem teneo, dum manibus chirothecas vellet adducere, hi qui adversus eum conspiraverant, ei protinus quasi subservientes, occurrunt, manus ejus utrasque complodunt; et mox evaginati gladiis, eum confodientes, interimunt. Quod mox, ut incomparabilium virtutum viro, Hugoni videlicet marchioni, qui dictus est, patenter innotuit, nil moratus Capuanam urbem numerosis exercituum legionibus circumfudit: eamque tandiu bellicis armatorum copiis expugnare non destitit, donec ex ea victoriam caperet et interfectores domini sui digno necis supplicio trucidaret. De quo nimirum et alia tot virtutum insignia referuntur, ut prolixitate temporum splendida nominis ejus fama aboleri nullatenus valeat; sed quasi virens semper ac florens, in ore hominum solemner vivat. E quibus et nos scribere nonnulla possumus, quae forent

aedificationi procerum profutura; sed quia dum nobis dicerentur, singula gestorum verba notare negleximus, ne quod absit, aliquo fallamur in verbo, scribenda haec aliis delegamus. Breve tamen, quod audivi de puerili ejus aetate, non taceo. Obertus [Ubertus, *et* Albertus *etiam*] marchio pater ejus Hugonis regis naturalis filius exstitit; qui nimirum Guillam [Willam] majoris Bonifacii marchionis filiam, conjugali sibi foedere copulavit. Hic non multo post indignationem primi Ottonis imperatoris incurrit, ac subinde relicta conjuge, Pannoniam profugus exsulavit. Qui cum longo post tempore resumptus, in gratiam rediit, matrem cum grandiuscula jam prole reperiens, admiratus expavit. Negat homo se genuisse, quem conspicit, et zelotypiae permotus invidia, fetae mulieri obscenum crimen intendit; nequaquam se tam insperatae rei perhibet conscius; diffitetur se conceptionis hujus nosse mysterium, nec posse fieri ut se asserat patrem qui praegnantem non reliquit uxorem.

CAPUT IV. *Guillae matris Hugonis innocentia jucundo miraculo declaratur.*

Ad hoc tandem res diutius ventilata protrahitur, ut non aliter, quam per actae purificationis indicium tam gravis objectio sopiatur. Hoc igitur ex utraque parte convenit, ut in vasta quadam amplissimae domus area conventus religiosarum fieret personarum. Quibus nimirum in subselliis suis undique considentibus, puer solus in medio poneretur; et si patrem, quem nunquam antea viderat, adiens peteret, ab omni procul dubio matrem suspicione purgaret. Quid plura? Conveniunt

pontifices, adsunt cum monachis et abbatibus inferioris etiam ordinis sacerdotes; fletur, gemitur, suspiratur, ad coelum oculos erigunt, pugnis pectora moesta contundunt, profluentibus lacrymis tristitia ora perfundunt. Dimissus itaque puer in **875** medio sine papate, vel gerula, coepit ire; et cum pater sederet inter vulgus, nec ab aliis videretur ulla subsellii varietate distinctus; contemptis omnibus, puer ad eum signanter accessit eique tanquam notissima familiaritate blanditus adhaesit. Sic itaque liberavit matrem, dum divino provocatus instinctu, petiit genitorem. Hoc igitur modo matri confusio tollitur, patri filius redditur, et utriusque parentis affectus erga se invicem in communi sobole reformatur. Omnes ergo qui aderant, tanto stupefacti miraculo, votiva mentis conjubilatione et dignas auctori Deo gratias referentes, exsultant.

Hic praeterea saepe dum equitaret, comitum cuneos post se dimittere consueverat, et vel solus, vel uno contentus assecla, longius praecedebat; et tunc agricolas, vel opiliones his compellabat affatibus. Quid vobis, inquit, videtur de marchione isto, quem dicunt? Nunquid non crudelis et impius, pauperes opprimit, terram dissipat et cuncta ditionis suae bona profligat? Ad quod illi: Absit, aiunt, absit; falsum est penitus, o homo, quod loqueris. Non est enim potestas talis super terram, quae sic violentiis et rapinis abstineat, quae in tanta pace et securitate subjectum sibi populum regat. Vivat optamus, vivat illa potestas ad refugium pauperum, prospere floreat ad omnium custodiam subjectorum. Quod ille audiens, exsultabat in Domino. Unde saepe dicebat: In tanta volo semper erga subjectos, et praecipue rusticos, mansuetudine vivere, ut annona, quae caballi mei rodentis ore delabitur, a

rusticorum porcellis e vestigio colligatur. Porro autem cum de se quid diceretur inquireret, quid aliud, quam nostri Redemptoris imitabatur exemplum? qui nimirum cum omnia procul dubio nosset, a discipulis tamen, veluti nescius, inquirebat: «Quem dicunt homines esse Filium hominis?» (**Matth. XVI.**) Cui cum illi diversas hominum opiniones exprimerent, addidit: «Vos autem quem me esse dicitis?» Scilicet ut rex angelorum formam daret rectoribus hominum, quatenus non quid in os eorum assentatorie dicatur attendant; sed quod eorum testimonium apud absentes habeatur inquirant. Sicque quod in se reprehensibile ex eorum fama deprehenderint corrigant: ad exsequenda vero bona, quae de se dicere cognoverint, avidius invalescant.

CAPUT V. *Hugonis ducis mors.*

Ut autem praefati marchionis etiam finem breviter perstringamus; cum in extremae valetudinis languore decumberet, et totius regni lumen exstingui, non parva diversorum ordinum multitudo defleret; venerabilis quidam **876** episcopus, cujus me ad praesens vocabulum fugit, hoc in ligno, quod in igne tunc ardebat, expressum per quaedam litterarum vestigia deprehendit. Hugo marchio quinquaginta annis vixit. Cumque hoc quasi faustum omen ii qui aderant crederent, signumque hoc esse recuperandae salutis, erectis in spem cordibus, autumarent, paulo post ipse defunctus est.

Hic praeterea sex [septem] monasteria in sui juris possessione construxit, quae non modo praediis ac mancipiis, sed et aureis, et argenteis vasis, diversis etiam ecclesiasticis ornamentis, copiosa liberalitate ditavit. In quorum uno, venerabili videlicet ac religioso, quod ad honorem Dei genitricis est in Florentina urbe constructum, jacet cadaver ejus humatum. Cujus obitum cum Augustus, qui tunc habenas Romani regebat imperii, Otto videlicet tertius agnovisset, quia quondam adversus eum stimulo mordebatur invidiae, protinus in hanc vocem congratulabundus erupit: «Laqueus contritus est, et nos liberati sumus (**Psal. CXXIII**).» Sed paulo post, eodem scilicet anno et ipse defunctus est. Sic itaque suam improvidus pertulit, qui de morte alterius nequiter exsultavit, non attendens id quod vir sapiens ait: «Noli de mortuo inimico gaudere, sciens quod omnes morimur (**Eccli. VIII**).»

Sed et aliud adnectere non otiosum credimus, quod inter sanctos ejusdem coenobii monachos celebri redolere memoria frequenter audivimus. Aiunt enim, quia praefatus marchio Marino abbati, qui monasterium id tunc regebat, per speciem nocturnae visionis apparuit; atque, ut corpus suum in supinum juxta consuetudinem volveret, quod in os reclinatum jacebat, admonuit. Quibus profecto visionibus abbas fidem praebens, probare rem voluit, et honesti viri corpus pronum, et in faciem jacens, sicut sibi revelatum erat, inveniens, reverenter, ut decebat, in latus alterum supinavit. Nec mirum plane, si vir iste sepulturae consuetudinem petiit, quam et ipse circa se caput electorum omnium voluit exhiberi. Dicit enim evangelista Joannes: Quia, «Joseph et Nicodemus acceperunt corpus Jesu, et ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos Judaeis est sepelire (**Joan. XIX**).» Hunc tibi

praedecessorem tuum, vir eminentissime, quasi speculum statue, aliorumque tibi qui pravitates hominum per rigorem justitiae represserunt, exempla propone. Eripe de violentorum manibus innocentes; superborum, et contra statuta viventium, erectas frange cervices. Experiantur te reprobi principem, non irrideant sacerdotem. Nocentium fruticum radices evelle, ut fructuosa plantaria possint comas erigere. Sic igitur in agro Domini, qui tibi ad excolendum commissus est, sarculum legitimi vigoris exerce, ut et supernis horreis proventum centesimi fructus inferre, et dignae remunerationis nummum ab eo qui te conduxit merearis accipere.

Sit nomen Domini benedictum.